

tur ut in odium heredum retorqueatur, quod in eorum favore introductum est *l. 6. C. de LL. cap. 61. de Regul. Jur. in 6to.*

[VI] Ampliatur, ut in suo quilibet ædificandi furnum facultatem habeat etiam si diversa Prædia possideat. Horum singulorum enim ratione pro diversâ personâ habetur *arg. l. 22. ff. de his quib. ut indign. l. 26. C. de Administrat. tut.* quicquid igitur in suo singulis competere supra ostendi, illud huic quoque in singulis licere existimo. Namque ab utilitate ex re suâ resultante excludi Dominus non debet. *arg. l. 1. verb. Quæ enim Invidia 7. per quas pers. cuiq. acqv.* Et procedit hoc non solum, si in diversorum locorum, sed etiam si in ejusdem Urbis vel Pagi prædiis novos furnos quis velit extruere. Favorem enim iste meretur, qui utilitatem hominum multis modis promovet. Quod si autem hoc ita se habet, multo magis id verum est, quod, si Pistor vel in dotem acceperit domum cum forno, aut ex hereditate talis ipsi obvenerit, & hunc & eum, quem antea habuit, retinere possit. Inducta enim est ejusmodi dispositio vel dotalis vel testamentaria ad ejus augmentum, non debet itaque operari diminutionem *l. 29. §. 1. ff. de Milit. testam. l. 4. C. eod.* Neque enim cogi potest, ut vendat furnum alterutrum; venditio coacta enim non tenet, sed rescindenda est *l. 1. C. de Rescind. Vend. Franzk. ad Tit. de Contrab. Emt. Vend. n. 84.* itaque multo minus ab initio ad vendendum cogi debet *per l. 11. C. de Contrab. Emt. Vend.* maximè cum non subsit vel utilitatis publicæ favor vel alia limitationis ratio, quales recenset *Dn. Brunnem. Cod. ad d. l. 11 n. 1.* Statuta tamen locorum hic attendenda dixerim, quippe quæ hujusmodi naturalibus facultatibus toto die derogant.

D 2

Quid